



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

15. Julii. Erga sceleratos eo pacto te gere, quo, pia mater jacentis filii
miseratione se macerat, blanditúrque illi sedulitate haud paulò delicatiori,
quàm sano, & valenti. S. Ign. ap. Bart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

hospitantur. Dilectio Dei nihil officit in proximum charitati; una adjuvatur ad altera, & velut circuli in catena inseparabili nexu sociantur.

Ubi cum iusta plurium offensa Dei honor quæritur, zelus non est, sed passio, sed janctantia; tantò despicabilior coram Deo, quantò major est abusus, vitia virtute palliare.

Si hominibus placeret, Christi servus non esset Apostolus: scilicet si hominum gratiam spectaret ut finem, si commodo suo, aut voluptate id faceret.

Favor hominum quæri cum virtute potest, imò debet, ut hoc semel occupato, cor ejus possideamus, eique Dei amorem implantemus. Non te audiet, qui odit.

15. Julii.

Erga sceleratos eo pacto te gere, quo pia mater jacentis filii miseratione se macerat; blanditurque illi sedulitate haud paulò delicatiori, quàm sano, & valenti. S. Ign. ap. Bart.

UT difficiliùs animi, quàm corporis ægritudines curantur: ità plures in illius, quàm hujus cura irrepunt errores. Utrique Medicorum imperitiâ, In

In animorum cura illud habe fundamentum : nullam fore efficacem malo medicinam, nisi hæc à tali afferatur, quem pasciens amet. Animus primùm occupandus est, ut ejus vitia expugnentur.

Unguis in ulcere auget, non tollit malum. Continuus stimulus ut dolorem, ita odia suscitatur. Molli manu, levissimèque attingenda sunt apostemata, secus erit intolerabilis curatio.

Vides afflictum vacillare sub onere. Si impellis? cogis ad ruinam, quem erexisses, si propitiam debili manum obtulisses. Tempori aliquid, aliquid ætati, nec parum indulgendum fragilitati.

16. Julii.

Ne in rerum propriarum deliberatione nos amor proprius in transversum agat, consideranda illa sunt tanquam ad alios, non ad nos spectantes, ut sic veritas, non affectus judicium ferat. S. Ignat. ibid.

Corporis oculos ita natura instituit, ut, licet alia omnia, se tamen minimè videre possint. Par mentis oculo sit officium, cui de aliis judicium committi potest, de se ipso nequaquam.

K 5

Cui,